Quelle: https://manuscripta.at/?ID=25973
Copyright: Admont, Benediktinerstift

Nota bene

que in se imaginem dei tam potens est ut ei cuius imago est ualeat
inherere. Sic enim ordinata est naturarum ordine non locorum. ut supra
illam non sit nisi ille. Denique cum illi penitus adheserit unus spiritus erit.
Cui rei adtestatur apostolus dicens. Qui autem adheret domino unus spiritus est. acce
dente quidem ista ad participationem nature ueritatis beatitu
dinis illius. non tamen crescente illo in natura ueritate et beatitudine
sua. In illa itaque natura cum feliciter adheserit. inmutabile uidebit
omne quod uiderit. Tunc sicut ei scriptura diuina promittit satiabitur in
bonis desiderium eius bonis inmutabilibus ipsa trinitate deo suo cuius
imago est. et ne uspiam deinceps uioletur erit in abscondito
uultus eius tanta ubertate eius impleta ut eam numquam peccare delectet.

xv. De mutabilitate mentis humane quomodo fit ut sicuti misera facta est ex beata. ita beata esse possit ex misera.

Se ipsam autem nunc quando uidet non aliquid inmutabile uidet. Quod ideo
certe non dubitat quoniam misera est et beata esse desiderat. nec ob
aliud fieri sperat hoc posse nisi quia est mutabilis. Nam si mutabilis
non esset. sicut ex beata misera. sic ex misera beata esse non posset. Et quid
eam fecisset miseram sub omnipotente et bono deo nisi peccatum suum
et iusticia domini sui? Sed et meritum eius gratia est illius cuius premium erit
beatitudo eius. Iusticiam quippe sibi dare non potest quam perditam non habet.
Hanc enim cum homo conderetur accepit et peccando utique perdidit. Accepit
ergo iusticiam propter quam beatitudinem accipere mereatur. Unde ueraciter
ei dicitur ab apostolo quasi de suo bono superbire incipienti. Quid enim habes
quod non accepisti. Si autem et accepisti. quid gloriaris quasi non acceperis. Quando
autem bene recordatur domini sui spiritu eius accepto. sentit omnino quia hoc
discit intimo magisterio. non nisi eius gratuito effectu posse se resurgere.
non nisi suo uoluntario defectu cadere potuisse. Non sane remi
niscitur beatitudinis sue. Fuit quippe illa et non est. eiusque ista

Nota bene quod omnis miserie hominis causa peccatum sit.

+ Et quid eam faciet beatam nisi meritum suum et premium domini sui.